



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Martyres Antochenæ. 11. Martii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## SS. MARTYRES ANTIOCHENÆ.

II. Martii.

**A**Nno partæ salutis CCC. VI. eò furor Imp. Maximini barbarus Antiochiæ pervasit, ut neque famem crudelem extensi per craticulas Christiani lentoque igne assati exsaturare, neque sitim cruentam flumina jam sanguinis possent sedare. Tantum verò abfuit, ut ad hæc exhorresceret Christiana Philosophia, ut sponte suâ (Numine utique invitante) ad mortem per præcipitia & undas ruerent, promptiores ad excipiendam mortem, quàm ad inferendam tyrannus. Inter hos jure suo laudem hodie fert Matrona (Pelagiam Ambrosius dicit) cum filiabus geminis. Hæ Antiochiam ducendæ pulcherrimè se exornarunt, iterque feminæ pede ac animo virili sunt ingressæ. Ex itinere mater non quidem vitæ, sed tamen pudori virginum timere cœpit, non ignara quoties hic ludibrio tyrannis fuisset. Et jam è geminis tyrannis plus puer Amor Maximino terrebat, cum Numen animos addidit, ut è ripâ in subjectum flumen generoso saltu se abjicerent, Venerè in regno suo expugnaturæ. Diu, veluti lusitabundæ choreas ducerent, secundo flumine descenderunt. Tandem haustas inter preces vortex placidè recepit. Corpora undæ neque exanima disjunxerunt, imò ut favere Nymphis nostris scires, vestibus suis quàm decentissimè rectas ad littus exposuerunt, cum littus æternum meliusque dudum animæ tenerent. Ex *Ambros. & Euseb. Chron.*

*Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum  
JESU Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit me-  
um? Cui in adversis diffidenti jam jamque deficienti,*

*si Nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo?* S. Bernard.  
ferm. 15. sup. Cant.

## S. GREGORIUS M. DOCT. ECCL.

12. Martii.

**V**Ltro mendicabilis januæ paterent, sicutitan-  
tem in iis CHRISTVM, vel Angelum cerne-  
remus. Tales hospites GREGORIUS habuit, & ob  
eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad  
hunc euectus inter primas curas habuit medici-  
nam gregi suo quærere, quem pestilentia totâ pas-  
sim Italiâ, sed Romæ potissimum lacerabat. Pla-  
cuit, morte tam atrociter grassante, ad MATREM  
VIVENTIVM confugere. Hujus proinde effigiem  
cum totâ urbe supplicabundus circumtulisset,  
Angelum vidit, qui iratum jam diu caputibus en-  
sem vaginæ redderet; & aërem noxium purgari  
vel inde animadvertit, quòd in eo cælestes voces,  
gratantes CÆLI REGINÆ de morte victoriam, au-  
diit. Ita servatis domi civibus, foris etiam Chri-  
stianum Imperium amplificavit, adjecto Anglo-  
rum regno. Libros deinde lucubrare est aggressus,  
qui etiam hodie Doctorem suum SPIRITVM S.  
probant, quem quidem specie columbæ obvoli-  
tantem capiti ejus non unus vidit. Sed & ad pre-  
ces illius Angelorum panis in carnem abiit, & hæ-  
sitanti feminae fidem mysteriorum fecit. Tale co-  
lumen Christiani orbis subruere tamen Mauritius  
Imp. cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium  
morte ipse non unâ luit, toties mortuus prius  
quàm moreretur, quot sub securi filios vidit mori.  
Ipse idem fatum cum conjugè contra omnium  
parentum vota ultimus subiit. GREGORIVM verò  
mortuum ferunt anno DC. IV. sed rectius vivere  
illum